

ad Martyrum modo memorias, sed et ad fratrum ibidem quiescentium cellas ventitabant. Exinde factum est, ut ritus, consuetudines, mores veterum Christianorum e coemeteriorum studiis erui necesse sit. Quoniam vero Romana Ecclesia ecclesiarum omnium mater exstitit et magistra et ad fidem et ad mores, ita porro ad coemeteriorum ritus, leges, symbola caeteris normae fuit et exemplo. Quapropter, cognitis semel Romanorum coemeteriorum legibus, pronum erit et ad singulas ecclesias eandem omnino rationem sive vestigandi sive illustrandi veterum Christianorum memorias transferre. Maximum revera monumentum ingenii Ioannis Baptistae de Rossi, viri de universa Christianorum antiquitate optime meriti, exstat immortale opus de ROMA SVBTERRANEA. Ibi origo vetustissima omnium apud Christianos coemeteriorum declaratur, maximumque discrimen inter ea, quae sub terra effossa quaeque super solum sunt condita; et quid intersit inter Christianorum, Hebraeorum, Phoenicum, Hetruscorum aliarumque gentium sepulcra. Insuper et fundamentum constituitur, quo innitebantur iura coemeterii apud Christianos, iura scilicet funeraticia sive inferendi corporis, unde ius coeundi collegia hominum potissime tenuiorum emanabat, quorum corpus, quod *ecclesia fratrum* audiebat, vel sub ipsis persecutoribus legitime exstittisse dignoscitur; unde etiam possidendi ius in ecclesia proveniebat. Item statuitur inter sepulcra privata et publica discrimen et publicorum natura et praestantia evincitur; constat enim commune coemeterium Christianos maluisse, quippe qui nec in ipsa quidem morte societatem et fraternum vinculum et precum communionem dirumpi patiebantur, et suffragia Sanctorum in cryptis quiescentium avide inhiabant; quin etiam certabant prope MARTYRVM et CONFESSORVM sepulcra tumulos sibi dum adhuc viverent comparare; unde coemeteriorum incrementum repetendum est; privata enim sepulcra, quamvis ab ECCLESIA non vetarentur, a fratribus tamen communi coemeterio posthaberi videbantur, ubi simul optimates, senatores, clarissimaeque foeminae una cum plebe ipsisque mancipiis quiescere exoptabant. Monumenta autem et documenta undequaque collecta Vir Clarissimus ita exhibet, ut ab iis exordiat, quae ad priora spectant saecula, quibus persecutionis rabies efferbuerat. Unde Romanae Catacumbae chronologiam et topographiam sibi certam vindicant. Perdifficile autem est inscriptionum seriem, picturarum supellectilem, symbola, arcani disciplinam, notas, siglas et caetera huiusmodi quae artem redolent Christianam, recensere, iisque omnibus praeceptis Magister

doctissimus non ad illustrandas modo Romanas Catacumbas, sed ad caeteras omnes, qua late patet orbis Christianus, antiquitates dignoscendas pronum ac facile sternit iter.

Tanto Duce ac Magistro facem praeferente, omnes veteris rei Christianae cultores in suis quisque regionibus et pro suo quisque studio adlaboret, sive vestigandis sive effodiendis sive illustrandis monumentis assiduum det operam; res unusquisque suas in medium proferat, unusquisque Christiana gentis suae monumenta ad tanti luminis radios conferat et quo maiore pollent praestantia, eo maiore ex illis petita luce illustret. Neapolis, Capua, Puteoli, Nola, universaeque, qua latius sese extenderit Campania, urbes, ad fines usque Samnii, Lucaniae, Latii, scatent monumentorum copia, ad quae recensenda mentes ingeniaque praestantissime desiderantur.

Offert Neapolis insigne Christianorum coemeterium, quod Aminaeos colles vulgo *Capitmontium* subit et pervadit; et si unam exceperis Romanas Catacumbas, inter Christiana coemeteria hucusque cognita principem sane locum tenet. Quamvis hominum potius quam temporis iniuria ingentem epigrapharum et picturarum copiam sensim labefactatam quaeramus, tamen quae supersunt adhuc litterata frustra et pictorum parietum vestigia si quis accurate et digne expendere et illustrare sategerit, eosdem sane typos, symbola, imagines ad Callistaeum exemplar facile deprehendet. Quod autem in Neapolitanis Catacumbis prae caeteris praestat, caemeterialis est structura effodiendique montis ars et latus ambulacrorum trames, rectusque ordo, cryptarumque series.

Insignes autem Capuanae ecclesiae fastos sive a coemeterio parum explorato ad Divi Prisci in Via Aquaria, sive a basilica S. Matronae, sive a Vulturni viciniis repetas, ea omnia Ioannis Baptistae de Rossi voce in aedibus Seminarii Campani adhuc resonant proclamata.

Quid referam de praeclarissimis Puteolorum antiquitatibus? Urbs haec, quae *pusilla* ROMA et *parva* DELOS appellabatur, a doctissimis plerisque viris quod attinet ad classicas et profanas antiquitates magno semper in honore est habita; sed quanta e sinu suo nondum explorato exsereret Christianorum monumenta! quanta Martyrum trophaea! qualem Antistitum seriem! quantas Christianorum memorias! quippe quae nomen Christianum ab ipsis Apostolorum principibus sibi comparavit, perque urbes propinquiores, Cumas potissimum ac Misenum, late diffudit.

Utque caetera omnia regionis huius nostrae monumenta praeteream, Atinensium episcoporum seriem, Abellinatium, quod modo detegitur, coemeterium, insigne Nucerae gentis baptisterium, et alia id genus sexcenta, una satis superque esset Nola, quae inter caeteras omnes Inferae Italiae ecclesias iure caput extulit, et inter omnes Christiani orbis dioeceses nulli unquam fuit secunda, quippe magnum totius eruditionis principem iure optimo sibi vindicat *Pontium Meropium Paulinum*, Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio testibus celeberrimum. Is enim sacram archaeologiam suo lumine illustrat, nobilissimaeque huius scientiae cultoribus facem praefert, qua quisque illucescente vel inter densissimas priorum saeculorum tenebras et sinuosas ambages securo pede incedit. Paulinus enim sive arcae loquendi rationis, sive symbolorum, imaginum, morum, liturgiae, sive universae artis christianae in primis picturae et architecturae magistrum sese longe peritissimum exhibet. Medius quippe inter coemeteriorum saecula et basilicarum aetatem cryptas Martyrum exornat et templorum fastigia extollit. Quid autem sunt tot Paulini epistolae et poemata, nisi totius christianae antiquitatis promptuaria? Qui si Paulinum admiremur scribentem, quid si monumenta excitantem intueamur? Ubinam terrarum est locus qui tantam veterum christianorum supellectilem complectatur, quantam felix Nolani coemeterii solum? Quid antiquius, quid praestantius, quid admirabilius crypta et basilica Felicis? Heu! heu! quo te rapuit erynnis, o perditissimorum ineptissimorumque hominum petulantia et sacrilegarum manuum audacia, ut in sanctissima Paulini monumenta debacchari auderes? Heu! magnum Paulini opus iniqua stultorum vesania in pessum ivisse deflemus! Paulinus, ceu iterum a Wandalis captus, iterum exulare coactus est; cum aedes, basilicas, porticus, sacra gynaecaea, coenobia, cellulas, cryptas, altaria, musivi ac lateritii operis structuras, vel ipsas epigraphas, epitaphia, tumulos, pro dolor! vel e solo penitus abrasa, vel solo dejecta miserabili caede conspicimus. Nunc temporis, si unam exceperis *veritatis aram*, ipsam quoque turpiter instauratam, et *Felicis cryptam* seu penetrale sordido squalens apparatu, caetera Nolani celeberrimi coemeteri, quae vel e Dacica barbarorum regione Nicetam sanctissimum semel et iterum arcessebant, penitus labefactata deploramus. Videre est tot tantorum virorum memorias, qui ad Felicis tumulum loculos sibi certatim appetebant, in frustra redactas, solo passim iacere et incedentium pedibus proteri; Antistitum Nolanorum sepulcra indecoro pulvere obsita; parietes

rimis fatiscences, ambones dejectos, transennas effractas, trichoras absides pene collabentes, et, heu! quis a lacrymis temperet? quo olim ab universo orbe ad Paulinum populi conveniebant, inde nostra hac tempestate vel ipsum Paulini nomen evanuisse.

Exsurgat magnus Ioannes Baptista, sacrosanctae antiquitatis vindex et restitutor, doctissimisque suis voluminibus e cathedra patefactis, Paulinianam gloriam instauret; qua semel vindicata, si omnia totius Campaniae nostrae monumenta interierint, unum Paulini nomen instar omnium monumentorum esset.



TINAM in nostris regionibus sacrae archaeologiae cathedra Paulino teste cum Ioannis Baptistae de Rossi voluminibus collato instauretur. Hanc sane vir ille praeclarissimus Ioannes Scherillus, e cuius labiis Rossianae eruditionis et sapientiae flumen pleno alveo fluebat, vix auspicatus, illico immatura morte correptus, discipulis testamento mandavit. Siquidem trophaeum in Campania nostra aere perennius Ioanni Baptistae de Rossi exigetur, si quae diu Scherillo nostro in votis fuerat sacrae archaeologiae schola et academia exsurgat, quam ipsemet de Rossi apud nos aliquando degens, Scherillo eiusque alumnis plaudentibus, felici omine proclamavit (1).

IANVARIUS ASPRENVS GALANTE.

(1) « In Italia il primo esempio d'un' accademia solennemente inaugurata per promuovere gli studii della sacra archeologia è stato dato in Napoli dall'Eminentissimo Cardinale Riario arcivescovo di quella città; nella quale gli studii archeologici hanno sempre avuto ed hanno cultori di fama europea. La savia e provvida mente di sì zelante principe della chiesa ha volto cure speciali al fecondare nel suo clero il buon seme di scienza archeologica sacra a larga mano quivi sparso dall'illustre e venerando Signor canonico Scherillo. Il qual seme negli intelletti meglio disposti con indefesso amore è stato coltivato dal precipuo promotore della scuola archeologica sacra napoletana signor D. Gennaro Galante, già molte volte nel *Bullettino* con la debita lode ricordato, e la cui amicizia mi è cara assai... La scuola napoletana nei lavori del maestro D. Gennaro Galante ed in quelli dei primi seguaci di lui D. Cosimo Stornaiuolo e D. Gioachino Tagliatela, già da me nel *Bullettino* meritamente lodati, ci si mostra fedele al metodo di grave ed accurata esposizione e di sincera e critica erudizione, che alla nostra scienza si addice ». De Rossi, *Bullettino di Arch. Crist.* III serie, anno 1876, pag. 108 ss.